

phiala vitrea A, ejusque fistula tenuissima CBD, impleaturque aqua, vel quolibet alio fluido usque ad terminum B, si postea eadem phiala immergatur intra vas EF aquâ calidâ plenum, subito aqua deprimitur à signo B, usque ad C, & è contra; si immergatur intra aquam glaciale. subito aqua sublevatur usque ad signum D, hujus effectus ratio hæc est, in actu immersionis in aquam calidam exhalationes, seu corpuscula ignea in extimam superficiem vitri penetrantia non secus ac totidem cunei vitri amplitudinem augent, & proinde interna vasis capacitas crescit, quæ major erit, quam ut impleri possit ab eadem aquæ mole, & propterea descendit à B usque ad C, ut nimirum recurrat ad implendum spatium internum vasis auctum, è contra quando vas immergitur intra gelidam aquam, deficiente continua insinuatione ingniculorum in aere existentium, constringitur & condensatur extima vitri superficies, proindeque interna ejus capacitas coangustatur, aqua vero majoris molis est, quam ut implere possit restrictum spatium, ideoque sursum usque ad D elevatur, hoc autem contingit citissime in actu ipso immersionis, nam si diu intra calidam aquam retineatur Vas, corpora ignea penetrando universam vitri crassitiem perducuntur ad aquam usq; & sic ejus molem ampliando denuo ab infimo signo C elevatur aqua super signum B. Oppositum vero accidit in immersione intra gelidam aquam: veritas hujus mei ratiocinii postea comprobata fuit innumeris aliis experimentis, de quibus alibi prolixius tractabimus;

§. 11. Hæc quidem satis speciosè prolata sunt, minimè autem verisimilia. Qui enim fieri posset, ut Vitrum mediante aquâ calida coarctetur, quod aliàs satis vehementi flammæ resistere potest. Longe commodius ergo hujus phænomeni ratio ex præcedenti petitur experimento, dum statuimus aquam calidam, cui immissa fuit phiala vitrea, frigus in ea residens propulisse in aquam phialæ inclusam, quæ frigore adveniente compressa descendit ad C. postea verò calorem etiam per vitrum transiisse in aquam phialæ, eamque iterum attenuasse ita, ut ascenderet: cumque extracta immitteretur in frigidam, frigus circumstans calorem vitro ab aqua priore calida communicatum propulisse in aquam vitro inclusam, eamque adeo attenuasse, ut ad D, & ultra intumesceret.

§. 12. Nostram hanc sententiam alio æque eleganti experimento